



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Opem ferre.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

manum, ob ea multa, quæ jam dudum collecta congestaque in varios mox usus distribuit, & negotiis quæque suis accommodat. Quod vero & Sol centimanus Homero sit, multa & innumabilia eius officia, quæ magis aperta cognitaque sunt, quam recensere oporteat, effecerunt.

## OFFICIA MUTUA. CAP. XIII.

**C**essit & in proverbium mutui beneficii officiique ab officio provocati, *Manus manum fricabit*, ex Epicharmi Comici versiculo, quem in ore fuisse semper Prodicus Sophista, Socrates apud

Platonem memorat, Axiocho. Erat vero hujusmodi:

Utitur eo  
Seneca in  
lib. de mor.  
se Casar. 6.

ἢ χεῖρ τῷ χεῖρα κνίσει,  
δός τι, καὶ λάβοις τι.

Ne manus manum fricabit,  
Da quid, auferes quid.

Sedenim illud vulgatum magis:

χεῖρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλοι δὲ δακτύλους.

sic enim manuscripti codices habent, quod alii suo freti ingenio corrigere voluerunt, quæ timentis esset ratio minus animadvertentes:

*Manus manum, digiti interim digitos lavant.*

## OPEM FERRE. CAP. XIV.

**E**adem dextera, quæ *Pullaria* Plauto dicitur, passis digitis opis ferendæ fuit hieroglyphicum: cujusmodi species in Opis dexæ simulacro aliquot in numis observatur, quasi ea opem omnibus velle se ferre polliceatur. Quinetiam & nunc vulgo, & apud veteres usurpatum illud *τῷ χεῖρα δίδω*, *ad Deum, manum admove*, quotiens operam nostram alicui negotio ad iutricem adjicimus. Hinc apud Maronem Palinurus ad Æneam clamat:

*Da dextram misero, & tecum me tolle per undas.*

Æn. lib. 6.

Sane illud sumptum à sacris, in quibus quispiam adveniens ad motæ victimæ manu, fiat & ipse particeps sacrificii. Sed hoc frequentius apud nostros, cum infantes ab originali labe per sanctas aquas expiantur, iustitiusque eorum dies celebratur: quicumque enim manus admoveant ad infantem, dum sacræ id peragitur, paternis sese obligant officiis, & artificiosa pietatis necessitudine & nato, & parentibus conjunguntur, propemodumque affines fiunt. Quod verò de manibus sacrificio ad motis & cebamus, quod Theologi nostri interpretantur eo Levitici loco. *Quicumque illa attigerit, sanctificabitur*, id dicunt ostendere, quod in disputationibus, quæ de Deo sunt, Theologicisque misteris, sufficit nobis tantummodo tangere, quemadmodum qui vult igne calefieri: nam is si interius manum imittat, pro eo quod poterat & fatis erat calefieri, comburitur: sic qui profundius, vel altius de Deo disputare præsumit, pro eo quod gloriosius aliquid ostendere affectat, in blasphemiam cadit, dum divinorum dogmatum nequit sublimitatem assequi. Ea de causa populus Israeliticus non ascendebat in montem Domini, sed juxta radices corona ducta desidebat, quod utinam superioris seculi tempora animadvertissent: non enim sanctissima hæc doctrina tot ineptorum hominum, ne ignavorum dicam, nugis atque cæno implicata esset & contaminata. Sed Deo Opt. Max. gratia, qui nostra demum ætate tot authorum veterum thesauros aperuit, & in unaquaque disciplina proficere volentibus, veram, facilem, brevemque viam patefacere dignatus est. Quod vero ad hanc rem facit, monet Paulus, haud facile cuiquam manum imponendam, de ordinibus nimirum communicandis, quorum vis & ratio in Spiritu sancti contributione consistit, juxta ritum, quo impositis supra caput manibus sacerdos dicit: *Accipe Spiritum sanctum*. Id vero diligentius examinandum imperat Paulus, ne indigno, vel improbo, vel imperito talia conferantur.

Levit. c. 6.

## FLAGELLUM. CAP. XV.

sep̄. cap. 11.  
Manus in  
malam  
partem.  
Job. c. 19.

**S**ignificat etiam flagellum manus in Divinis literis, ut apud Sophoniam: *Extendam manum meam super Judam, & super habitantes Israel, & disperdam de loco hoc reliquias Baalu*. Et B. Jobus de calamitatibus, plagis, & infortuniis suis loquens, *Manus Domini inquit, terigit me*. Et illud, *Tradidit me manus gladii, castigabuntur gladio significat*, utpote qui occisione occidendi sint. Jam quod alibi legitur: *Firmasti super me manum tuam*, de castigatione intelligendum est.